 23)

DE TUSSI CONVULSIVA EPIDEMICA

SUB

AUSPICIIS PRINCIPIS

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES RITE

IMPETRANDI

AD DIEM XXII MENS. JUN. CIↃIↃCCLXXXIV

ERUDITORUM EXAMINI QUAEDAM

OFFERT

CANDIDUS HABERLER

BRUNA-MORAVIENSIS

MARBVRGI

TYPIS IOANNIS BAYRHOFFERI.

DE TUSSI CONVULSIVA EPIDEMICA.

Dirum metuentur homines in tussi convulsiva pusionum adversarium. Nullus enim fere morbus tanta in teneros illos saevire consuescit pertinacia & nullus in curatione magis medicis opponit impedimenti. Longas hactenus legimus in autoribus nostris de morbi huius caussis tractationes, sed nulli fere unquam in mentem venit, exanthematis cuiusdam, illius praesertim, quod scarlatinam vocant, virus, ad respirationis organa depositum, eiusmodi producere posse effectus, quos in hac tussi summo cum cruciatu puerulos

 pati

pati ſaepius videmus. Magis adhuc prae ſe fert periculi morbus iſte, quod epidemice quam plurimum graſſatur, qua ex cauſa eo maius eſt damnum, quod generi humano ſaepiſſime infligit. Sit hoc diſſertatiunculae noſtrae argumentum. Antequam vero de tuſſi convulſiva ipſa diſſerere poſſum, neceſſe erit, de epidemiis generatim in medium quaedam proferre, ad modum eo melius cognoſcendum, quo morbus noſter qua epidemicus, potiſſimum timendus nobis eſt. Diſcrimina deinde tuſſis convulſivae, a ceteris tuſſibus paucis erunt eruendae, cauſaeque diſquirendae. Poſtea de febre ſcarlatina et purpura qua cauſſis frequentioribus, & excretione critica agam denique methodum medendi proponam, tutiſſimam, per exanthematis cuiusdam productionem. Ad rem ipſam igitur me accingam, & de epidemicis conſtitutionibus pauca praemittam.

DE CONSTITUTIONE EPIDEMICA GENERATIM.

§. I.

Quodlibet anni tempus morbos ſuos habere & alere proprios, res eſt, quae per ſecula iam conſtat. Aër enim vaporibus pro conditione partium e terra et omnibus corporibus naturalibus exhalitis impraegnatus, varia etiam prae ſe fert morborum ſemina. Hippocrates* iam, poſtquam de reſpirationis neceſſitate locutus eſt, pergit: *Huic quoque orationi ſubiicien-*

* Sect. III. de flatibus.

ciendum, morbos unquam vix aliunde quam ab aëre oriri posse, cum is aut copiosior, aut parcior, aut etiam plenior, aut & morbidis inquinamentis infectus in corpus subierit. De tota re igitur haec mihi sufficere videntur. Deinceps autem ad opera ipsa oratione progressus, morbos omnes istius sobolem esse, & ab hoc oriundos demonstrabo. Ac primum a febre maxime communi morbo exordium ducam, quae omnium aliorum morborum, praecipue vero inflammationis comes est. Quod indicant ex pedum offensionibus exortae noxiae. Mox enim cum inflammatione inguinum tumor & febris consequitur. Febrium autem duo sunt genera (ut id quoque hic attingam) unum quidem omnibus commune, pestis appellatur, alterum vero ob priuatam cuiusque malam victus rationem contingens. Horum autem utriusque aër autor existit. Communis igitur febris ideo communiter omnes invadit, quod eundem omnes spiritum attrahunt, & simili corpori spiritu similiter permixto, similes oriuntur febres. At forte obiiciat quispiam, cur igitur non omnibus animantibus, sed alicui ipsorum generi eiusmodi morbi contingunt? Cuius rei causam esse dixerim, quod corpus a corpore, natura a natura, & alimentum ab alimento differt. Neque enim cuivis animantium generi eadem sunt commoda aut incommoda, sed alia aliis conveniunt. Cum igitur aër inquinamentis huiusmodi, quae hominum naturae adversantur, plenus fuerit, tum homines aegrotant. Quando vero alteri animantium generi aër incommodus fuerit, tunc eo morbo corripitur &c. Tempus vernale praesertim tali aëris infectioni prae aliis obnoxium est. Terra enim per inte-

grum hyemem frigore claufa, non poteft emittere vapores mitioribus anni temporibus folitos. Tempus acquirunt ideo hi dicti vapores ad fermentationem ineundam, putrefcunt, & quando, ut ita dicam, terrae pori per folis redeuntis radios & calorem aperiuntur, exhalantur, atque varias producunt epidemicas conftitutiones. Corporis humani pori tum externi tum interni, non minus per tempeftatem mitiorem ad reforbendas illas venenatas exhalationes apti redduntur, quid mirum inde, fi pulmones tenellorum illorum a veneno illo obruuntur, aut cutis ob diminutam pororum anguftiam, aut ad hoc aut ad illud exanthema praedifponitur. Oriuntur enim verno tempore e. g. febris miliaris, bullofa, utticata, interdum etiam fcarlatina — praeterea catarrhalium varia genera, ardentes, eryfipelaceae, inflammatoriaeque cuiuscunque notae.

§. II.

Sed & autumnus morbos fuos alit epidemicos, non minus enim infignis aëris eo tempore fit mutatio. Praefertim calor diei & frigus noctis in cenfum veniunt. Igitur ii, qui veftibus aeftivis ficdictis hoc tempore adhuc utuntur, vel alio modo frigori corpus fuum exponit, aliis etiam obnoxii funt epidemiarum fpeciebus. Furorem fummum exercent hoc tempore dyfenteriae, febres putridae, biliofae, pleuritides, peripneumoniae ut paucis dicam, graviffima acutarum turba. Recte igitur cum SYDENHAMO * epidemicos morbos in duos dividere poffumus ordines, ver-

* in obfervat. med. circa acut. morb. hift. & curat. Cap. II.

vernales nimirum & autumnales. Propriis verbis viri beati uti mihi liceat, qui inquit: *Quamvis fieri poteſt, ut alia qualibet anni tempeſtate ſubnaſcantur, ad illam tamen ſunt relegandi, Ver Autumnusve fuerit, quam proxime contingunt: Accidit enim nonnunquam, aëris temperiem cum epidemicorum aliquo in tantum conſpirare, ut eo fautore, ante tempus ſibi debitum miſeros invadat, & e contra eſt, ubi tam parum illis inter ſe convenit, ut corpus praediſpoſitum non niſi aliquamdiu poſt aggrediatur. Cum itaque Ver dico vel Autumnum non de ipſo ſtatim aequinoctio, ſive verno, ſive autumnali, ad amuſſim loquor &c.* Differunt vero morbi epidemici non tantum ratione anni temporis, ſed etiam miaſmatis reſpectu, & hae magnae ſunt differentiae. Aliud enim miaſma ad ſanguinem vehitur, is depravatur, reſolvitur, vel putreſcit, & oriuntur inde febres ardentes & putridae. In aliis bilis tantum vitia obſtant, vel qualitate vel quantitate, bilis nempe, aut bona ſit, aut depravata, per vaſa chylifera ſanguini admiſcetur, ni per vomitum tempeſtive eiiciatur, & febres bilioſae inde trahunt originem. Aliud miaſma ad cutis eliminatur ſuperficiem, ſtagnat in tela celluloſa ſub epidermide, & poris cutaneis, poſteaque apparent varia exanthemata, quae materiae ſtagnantis ratione, aut hanc aut illam adipiſcuntur faciem. Ita oriuntur variolae, quando miaſma morboſum in glandulas illas variolis a partu dicatis, & a viro experientiſſimo Hoffmanno, * Monaſterii adhuc degente, in libello ſuo de Variolis egregie detectis, deponitur, materiam variolarum, in glan-

* Vid. die Hoffmänniſchen Streitſchriften über die Kinderpocken.

glandulis hisce latitantem, quasi impraegnat, & illa demum motu inteſtino in fermentationem deducta, in cutis ſuperficie erumpit. Simili fere modo febris miliaris, ſcarlatina & reliquae exanthematicae oriuntur, quaelibet tantum indolis ſuae reſpectu. Ex hisce videre eſt, epidemicas conſtitutiones, ſoli potiſſimum aëri, & vaporibus in eo natantibus, debere adſcribi. Tuſſis convulſiva, epidemiarum omnium vehementiſſima, attentionem inter eas potiſſimum meretur, & cum diſſertatiunculae huius ſit obiectum, de ea nunc ſigillatim breviter dicamus.

DEFINITIO. DIFFERENTIAE. SIGNA PROGNOSIS.

§. III.

Morbi hujus vera cognitio exigit, ut tuſſis generalem definitionem, & differentias convulſivae ab aliis tuſſium generibus clarius paullo exhibeam. Tuſſis vero in ſenſu latiori eſt exſpiratio violenta, re ipſa ſpaſtica, cum ſono vario, quae ſemper fere in convulſiva quadam muſculorum reſpirationis involuntariorum contractione, aut generatim actione muſculorum illorum ſpaſtica haeret, raro voluntarios ſimul afficit muſculos, tametſi ipſo motu variae corporis partes, praeſertim antea dolentes, ſimul afficiantur. Hippocrates igitur recte dixit: Tuſſes laborioſos maxime locos laeſos afficere. Laborant in tuſſi inprimis diaphragma, muſculi abdominales, intercoſtales, laryngis & confines connexique pharyngaei, nec non ſine dubio ſimul interſtitia muſculoſa cartilaginum tracheae & ipſae pulmonum fibrae motri-

motrices. Sonus eſt diverſus, interdum vocis ordinarius, interdum cum raucedine & varia acutie, quae interdum quaſi producto ſono diutior eſt, conjunctus, unde variae tuſſes clangoſae ſic dictae, acutae & ſubraucae ſimul ſunt. Saepius & ſingultus, ructus, quin & ventris conjunguntur crepitus, immo quidam quaſi teneſmo, cardialgia, praecordiorum conſtrictione, viciſſim & alia iſtiusmodi vario ſequuntur gradu. Neque raro in peſſimis tuſſis ſpeciebus ſpaſticae aſſociantur permutationes.

§. 1111.

Tuſſis alia eſt affecto pectori idiopathica, alia conſenſualis, quae non ſine ratione pharyngea vel pharyngo-laryngea vocatur, quia tuſſiendi initium ex ſingulari ſtimulo varii generis in ſummitate laryngis vel pharyngis fit, eodemque tempore vario cum ſenſu conſtrictionis circa hypochondria. Tales tuſſes conſenſuales plerumque ſunt itidem ex imo ventre, & idiopathicis ſe varie admiſcent, ſic tamen cognoſcuntur. Aliae tuſſes ex hujusmodi ſtimulo ſenſu non ortae, & obſcuris initiis, niſi interdum brevi quadam praegreſſa reſpirationis difficultate, ad tuſſim laceſſente, plerumque pectori idiopathicae ſunt. Cauſae vero idiopathicae plerumque in pulmonibus potiſſimum & aſpera arteria haerent, unde in omnibus pulmonum affectibus, qualescunque fuerint, adſunt. Vomicae pulmonum, abſceſſus, extravaſationes, ſcirrhoſa, calculoſa, ſubcartilaginoſa coagula in illis vel alibi pulmonum obſervata, excreſcentiae in aſpera arteria, infarctus varii a materia viſcida qualicunque, vel heterogenea re-

reſpiratione attracta, ut in lapicidis, lanariis, vitrariis, metallicis operariis, atque id genus aliis tuſſes iſtiusmodi idiopathicas producunt, quae pro corporis conditione ſaepe conſenſuales ſimul ſunt, generatim tuſſes cum ſenſu ſoni ex cavo quodam protruſi, (der hole Huſten) ſunt verae idiopathicae, quae vero cum ſenſu illius ſtimuli in faucibus poſticis & conſtrictione varia circa praecordia fiunt, aliquid conſenſualis habent cauſae.

§. V.

Utriusque generis tuſſes ſunt vel primariae vel alio cuipiam morbo ſymptomaticae. Primariae, ſtricte ſic dictae, rariores fortaſſe ſunt, etſi originem ex morbo quodam, vel diu praegreſſo, vel in corpore latitante, difficile ſaepius ſit deducere, & occulti horum non raro aliquid intus lateat, quod cognoſcere ardua res eſt. Ubi tamen verae ſunt, plerumque cauſas in aëris mutationibus poſitas, & epidemicas forſan ita tamen habent, ut opportuna magis afficiant corpora. Tales & tuſſes catarrhales variae, quin & variae ſpaſticae eſſe poſſunt, cauſa externa potiſſimum in nervos agente, ſed ſymptomaticae tuſſes, quorſum & metaſtaticae referendae ſunt, incredibilem habent ambitum. Non ſolum enim frequentiſſimum ſymptoma ſunt variorum morborum acutorum & chronicorum. In acutis morbis omnium frequentiſſimae & vehementiſſimae ſunt ſub morbillis, deinde ſub aliis exanthematibus, mnlignisque febribus vario gradu variaque prognoſi. Quibus autem in acutis harum natura ſunt rariores & minus eſſentiales, quam modo dictis, in his aut ſingu-

lares

lares internae caufae aut epidemicae adfunt. Ita cafu priori in febribus acutis non pleuriticis, non exanthematicis, fi tuffes adfunt, & febris ipfa alioquin gravibus fymptomatibus non affligit, diuturnitas quaedam vel eminus aliquando phtifis poteft timeri, utique, fi hae tuffes fpafticae nonnihil in larynge & praecordiis fuffocatione, quantillum id fuerit, quin & cum doloribus circa pectus & dorfum vagantibus fuerint conjunctae, unde & in phrenitide tufficulae iftae delirium praecedentes ejusdem faepius funt notae. Altero fub cafu non raro febres graffantur, certo potiffimum tempore periculofae, & epidemicam quandam caufam produnt, quales HIPPOCRATES * defcribit.

§. VI.

In chronicis morbis, praefertim ex imo ventre oriundis, quin in acutis non febrilibus tuffes variae vario gradu notantur. Tuffes phtificae hypochondriacae, hydropicae adeo mali ominis funt notiffimae, faepe periodicae ut quotidie ftatis affligant temporibus. Peffima harum eft in phtifi pulmonali, & cognofcitur ex reliquis phtifeos fignis. Verum enim pus ejicitur, vera tuffis, non fcreatus eft, periodica eft, tempore matutino graviffima, in initio cum vomendi nifu conjuncta effe folet, in diem increfcit, ufque ad fummum morbi gradum, dein minuitur, & ejus loco fymptomata oriuntur fuffocatoria, quae mors aegri fequitur. Alia eft tuffis chronica, non phtifica, faltem non purulenta cum febre lenta. Haec enim jam annos duravit, aegri non adeo

* Epidemic. Libr. I. & III.

gracilescunt ac in phtisica, nec debiliores fiunt, interdum octo vel quatuordecim dies plane cessat, sed aliae metastases aparent, & oriuntur vel diarrhoeae vel nervorum & sensuum passiones; mucus ejectus est magis fuscus, pellucidus & crassae puris particulae insunt. Tussis hypochondriaca & haemorrhoidalis praecipue adhuc est notanda. Frequentior haec est tempore aestivo, quam vernali, pertinax est, sed non adeo ut praecedens, aliquot enim menses tantum durat, periodica est & rarius invadit, aegri gracilescunt & vires perdunt, sed non adeo ut in phtisica; tensiones dorsi sentiunt, pulsus a naturali parum differt, est tantum paulo debilior; mucus ejectus puri non similis copiosus tamen. Invadit plerumque haecce tussis triginta annorum natos. Tussis hydropica pessimum signum est, tunc enim mors in ella. Deinde metastaticae tusses itidem frequentes sunt, sub quibus semper de pristino morbo percontandum. Sic inter pusiones subinde convulsiva grassatur tussis, diu interdum praegressa scarlatina epidemica, rursus ex hujusmodi tussi innumerae aliae metastases ad dolores artuum, ad morbos cutaneos, tumores testium & saepe ad graviora mala, quae non soli successui debentur, fiunt. Dividuntur denique etiam tusses in siccas & humidas, quibus varia cruda & cocta ejiciuntur. Aliae tusses diuturnae siccae sunt, aliae initio siccae, deinde humidae. Et omnes consensuales tusses plerumque siccae sunt, & sero aut ita saltem humidae fiunt, ut paroxysmi ex sicca tussi incipiant, & cum humida qualicunque finiantur.

§. VII.

§. VII.

Tametſi autem in omni tuſſi ſpaſtici aliquid lateat, ipſaque revera nihil aliud ſit, quam convulſiva expiratio, eo ſaltem nomine differens, quod aliquando voluntarii quid ſeſe addat, & in ipſa tuſſi morboſa, praeſertim non conſenſuali, ſubinde ſponte quaſi & ſine ſtimulo tuſſiant aegri, quo caſu mixtus hic ex involuntariorum & voluntariorum reſpirationis muſculorum motu affectus eſt: inprimis tamen ſtricto ſenſu tuſſis quaedam notatur convulſiva variis aetatibus & morbis communis vel pediſſequa. Talis tuſſis convulſiva notas habet conſenſualis tuſſis, & ex iisdem incipit ſtimulis, diutius ſaltem & ita producitur, ut, ubi ſemel tuſſiendi factum eſt initium, conquieſcere non poſſint aegri, donec hic paroxyſmus deſierit. Diu quaſi paroxyſmum epilepticum thoracis exprimit. Haec tuſſis ſemper conſenſualis eſt, interdum tamen pulmonum vitia in conſortium trahuntur. Thoracis fabrica vitiata, ut ad reliquas tuſſes, ita ad hanc itidem non promiſcue aliquid confert, ſed ſubinde ſaltem, quum videamus gibboſos peſſime detortos commode & ſine ulla tuſſi ſaepius reſpirare & valere. Veteres medici hanc tuſſim non ſatis diſtincte notarunt, quinimo recentiores quidam medici * novum eam morbum eſſe cenſuerunt, qui ſicut variolae & venerea lues nuper ad nos delatus ſit. Sed ſine ullo dubio ſub tuſſis ferinae nomine convulſivam noſtram intellexerunt antiqui.

§. VIII.

Tuſſis haec convulſiva ſemper epidemica eſt, praeſertim inter infantes & puſiones, tuncque epidemicae cauſae praegreſſae,

* ROSE'N von ROSENSTEIN, von den Kinderkrankheiten, 18ter Abſchnitt.

exanthematicae febres, caufae etiam fingulares, ut vermes, quorum affectiones & ipfae haud raro aliquid epidemici habere videntur, in confenfum veniunt. Hae tuffes pueriles non folum incredibiles ftrages edunt, fed etiam in varios acutos & chronicos morbos tranfeunt, accedunt pleuritides vel haemoptyfes, anginae, fuperveniunt oculorum & aurium varii affectus, in illis lippitudines, & in his abfceffus, apoplexiae, catarrhi fuffocativi, gibbi, herniae, paralyfes artuum externorum & fimilia, quae ex aliis nervofi generis oriuntur. Qui non acute interimuntur per modum pleuritidis, anginae, aut catarrhi fuffocativi, his phtifis obrepit, qua tamen haec aetas, ut bene iam notat, ARETAEUS facilius interdum emergit. Cavendum autem omnimode eft, ne tuffis haecce, cum tuffi ftomachica confundatur infantili.* Oritur enim interdum in puerulis tuffis fpecies, quae in ftomacho vim fuam exercet, & cibos nimis tenaces, ut, pultes, panem, condita fimiliaque in nimia quantitate affumta caufas nancifcitur. Non difficulter autem diftinguitur, fi attendamus, vel ad appetitus diminutionem vel augmentum, praecordiorum anxietates, ventriculi intumefcentiam & inflationem, atque vomiturítiones quin vomitus ipfos. Aër expiratus & excrementa peffimum referunt odorem & praeternaturalem. Facile eft videre, pulmones & partes adiacentes in confenfum tantum trahi ex vicinia, praefertim cum vomiturítiones continuae urgeant aegros, quo facto denique tenacis paululum excernitur pituitae. Lingua aeruginofa eft, poft paftum exacerbatur tuffis, & poft vomitum magnum fentitur morbi levamen. Refpiratio non adeo anhelofa eft, quam in tuffi

* UNZERS medicin. Handb.

tuſſi convulſiva, & certiſſima adſunt reliqua ſigna, tuſſim hancce in thoracis cavitate ſedem non habere. Similes tantum ſunt hae binae tuſſis ſpecies, in eo, ut ſumma cum acutie pueros invadant, inſpirationis & expirationis intervallum ſit, breviſſimum, faciei color in utraque ut in iis qui ſuffocantur, & in ambabus ſuffocationis ipſae ſaepiſſime oriatur metus; oculi torquentur, ſanguinis interdum ex naribus & faucibus apparent profluvia; tuſſis non prius remittit, ac muco viſcido copioſo faucibus egurgitato, qui non raro in excernendo vitae inducit periculum. Ex hiſce videmus tuſſim ſtomachicam non minus eſſe convulſivam, quam tuſſis convulſiva ſtricte ſic dicta.

§. VIIII.

Alia ſpecies convulſivae tuſſis catarrhalibus ſimulacris & coryzae gravioris, quin rheumaticis, & adultos ſaepe ſenesque vernali hiemalique affligit tempore. Catarrhalia iſta ſimulacra diu & menſibus aliquot antecedunt, medicosque ſaepius fallunt, interim tuſſis, modo conquieſcens, modo rediens, pergit, tandemque in ſummam degenerat vehementiam, tumque pleuropneumonici & pleuritici affectus obrepunt, qui utplurimum finem vitae faciunt. Valde memorabilis haec tuſſis ſpecies in praxi eſt. Aliae convulſivae tuſſes aliis chronicis affectibus eſſentiales ſunt. Talis eſt in hydrope confirmato, talis eſt in phtiſicis, morbo itidem adulto, praeſertim ex viſceribus imi ventris oborto: tales in levioribus hypochondriacis, hyſtericis, aliisque ſimilibus affectibus itidem obſervantur veſperi per periodos affligentes, ceſſantes ad mediam noctem, atque etiamſi ſine praeſenti periculo decurrant, ſaltem tamen pediſſequa ex hac fonte habere ſolent mala.

§. X.

Ut vero ad ſigna huius tuſſis diagnoſtica tandem deveniamus, nemo adhuc medicus fere tanta diligentia, tanto ad obſervandum ingenio tantaque claritate ſigna haec in lucem poſuit, quam celeberrimus Rose'n a Rosenstein,* ſecundum quem ſucceſſive incipit tuſſis convulſiva, in initio ſicca, poſt diem decimum aut duodecimum humidior fit, & materia exſcreata cocta videtur eſſe. Indies augetur, per intervalla aggreditur, remittit, quin ſaepius plane intermittit, tertio quoque die exaſperatur, tertiana interdum febris ei jungitur, quod a nimiae concuſſionis in bilem effectu absque dubio accidit, quodque ſummum vitae inducit periculum; certis horis redit, tuncque tanta ſaevit acutie, & tam longe durat, ut e cœruleo nigreſcat facies, oculi turgeant, lacrymae effundantur, & naſus interdum rumpatur, ſuffocarique videatur aeger. Aëris inſpiratio, ſin contingat interdum in tuſſiendo, ſono acuto fit, qui reſpirationis difficultatem indicat maximam. Paroxyſmus aequali durat vehementia, nec prius remittit, quam materia viſcida larga per vomitum eiecta. Sine vomitu interdum remittit, ſed tunc ſtatim redit, & ad vomitum uſque continuatur. Periculoſiſſimus eſt paroxyſmus ſtatim poſt paſtum, ob ſuffocationis metum, cui non aliter medetur, quam digito in fauces immiſſo & vomitu inde excitato. Certiſſima haec ſunt tuſſis noſtrae ſigna, nullaque alia tuſſis ſpecies talia prae ſe fert ſymptomata.

* Anweiſung zur Kur und Kenntnis der Kinderkrankheiten.

CAUSAE, PRAESERTIM EX FEBRE SCARLATINA ET PURPURA PETITAE.

§. XI.

Inter omnes metaſtaticas depoſitiones nulla deterior certe eſt, quam quae ad pulmones fit, quarum multae in hominum vita multis in morbis accidunt. Febres plereuticae & perineumonicae non raro ſaltem experientia haec docent, quae ſaepiſſime optimo cum ſucceſſu curatae, abſceſſum vel vomicam in pulmonibus relinquunt, adeo ut aeger jam dudum ab omni morbi ipſius periculo liberatus, ſero adhuc moriatur. Inter peſſimas morborum metaſtaſes materies ſcarlatina ad pulmones delata, certiſſime eſt numeranda. Haec enim, ex variorum practicorum recentiorum obſervationibus, frequentiſſima hodie eſt tuſſis convulſivae cauſa. Ut autem hoc eo melius intelligatur, febris ſcarlatinae ortum & naturam paucis tantum explicare opus eſſe mihi videtur.

§. XII.

Febris ſcarlatina, a colore exanthematis coccineo ſic dicta, eſt febris valde acuta, vel ſeptem vel decem, raro plurium dierum, cum exanthemate hoc ſui generis varia, ſed ſemper quadam faucium inflammatione (anginodes) varia quidem vehementia, ſymptomatibus modo levioribus, modo gravioribus, ad phrenitidem uſque mortemque, inter ſopores, aut ſpaſmos, aut, ſi ſuperatur, ad ſingularem illi febri ſemper propriam, vel poſt aliquot hebdomades apparentem metaſtaſin, quaſi ſecundarium & ſuccenturiatum ſtadium perveniens. Incipit febris catarrhalis inſtar, ſaepe etiam graviore algore. Quo malignior eſt, eo mino-

minore febre, aeſtu, ſoporibus, lacrymoſis oculis, deglutiendi difficultate, ſternutationibus, capitis doloribus, aliisque gravibus ſymptomatibus, tuſſicula, ſubinde morbillorum inſtar, quibus cum non raro confunditur. Tertio circiter die rubella ſtigmata per corpus emergunt, rarius in facie haec ſtigmata ſeſe explicant, brevi in latas abeunt maculas, quae & ipſae confluunt, ad eryſipelatis modum, ut tamen ultro citroque albae integraeque quaſi cutis inſulae ſuperſint. Leviter affectae partes tument, & peiori omine etiam facies ſic occupatur, plerumque, quo magis ad cutem ſit determinatio, eo minor faucium eſt afflictio. Fauces ſaltem ſaepe affliguntur multo vehementiſſime, & ad cutem levia ſaltem & fugacia ſigna ſe produnt & recondunt, ut ſaepe ex ſola anginode vel faucium difficultate febris haec ſit cognoſcenda, atque cum angina confundi poſſit, niſi fugaces iſtae & quae diſparuerunt ad cutem notae, aut epidemicus ſtatus attendantur. Experientiſſimus Unzer *) hoc affirmat, cuius propriis utar verbis: *Das Scharlachfieber iſt gleich von Anfang mit einem böſen Halſe verbunden, und daher würde man es leicht mit der Bräune verwechſeln, wenn nicht bald die Scharlachrothe Farbe hinzukäme, die ſich über den ganzen Leib ausbreitet, und keine erhabene Fleken, ſondern eine gleiche Röthe formirt, nur daß die rothe Haut etwas dik und aufgetrieben erſcheint*, u. ſ. w. Hoc caſu in pleuritidem vel peripneumoniam ſymptomaticam ſaepe tranſitus multo gravior metuendus eſt, a quo alioquin non omnino liberi ſunt. Peſſimum eſt, ſi cum valde inflammata cute & gravis angina ſit. Exanthema ipſum paulatim ad illum cancri cocti pervenit colorem, paucos poſt dies, quod interdum tamen ſaepe ad ſeptimum uſque durat, palleſcit & flaveſcit, lentiſſime

*) Unzers mediciniſches Handbuch.

tiffime in pedibus, tandemque multae ampliffimae ex cute fquamae folvuntur, febrium omnium exanthematicarum maximae, ut interdum quafi totius digiti integumenta, quin majora adhuc, vel forfice refolvenda fecefferint. Ex hoc folo in ampliffimas & lamellofas fquamas morbi fine adfuiffe fcarlatinam certo cognofcimus.

§. XIII.

Maxime quidem puerilis & adolefcentiae morbus eft fcarlatina, inprimis vernalis aut declinante hyeme. Non raro tamen & adultam, quin declinantem adoritur aetatem. Nonnulli pufiones leviffime hoc morbo laborant, fed hi altero ftadio periculofiffime affliguntur. Altera enim tertiaque hebdomade poft, quum videntur jam bene fe habere, etfi plerumque nec fomni non firmi, nec urinae bonae notae, fed febrilis, fufpicione careant, fi accuratius attendatur, quidem etiam voraciores fint, fimul tamen languent, & plerique aliquid infirmitatis habent: febris dicto tempore rurfus invalefcit, faepe ad graviffima ufque fymptomata, deliria, ifchurias &c. Intumefcit abdomen, inflatur etiam totum corpus cachectico modo, accedunt pleuritides fymptomaticae, phrenitides & alia acutarum fymptomata, quae aliis vitae finem faciunt acutiorem, alios longa infirmitate, cachexia, ictero, leucophlegmatia, febribus lentis, fenfuumque vitiis vexant, nifi largae haemorrhagiae per nares aut alvum, aut diarrhoeae interdum vomitionibus mixtae, aut fcabies quaedam vel intermittens febris, aut abceffus externi, vel diu poft & faepius fupervenerint. Nonnulli diu icterici funt non fine levamine, puellis etiam adultis fluor albus interdum accedit.

cedit. Multi diu ſtupidi, infirmi, altero latere ſpaſtici vel reſoluti, vel cum oculorum & aurium vitiis ſuperſunt. Et tamen morbi vehementia non ſemper eadem eſt, ſed quibusdam ſaltem annis.

§. XIIII.

Peſſima eſt febris ſcarlatinae metaſtaſis ad reſpirationis organa, ex ea enim in tenellis convulſiva tuſſis oritur ſaepiſſime. Materia inflammatoria, ſi per cutis cribrum erumpere non poteſt, partes internas afficit, & cum plerumque pectus totusque thorax prae aliis occupetur corporis partibus, facillime intelligi licet, pulmones potiſſimum depoſitionis hujus fore objectum. Materia inflammatoria obrutae, inflammantur & ipſae, glandulae muciparae eo deducuntur, ut plus conſueto muci excernant. Sanguinis affluxus, per inflammatoriam ſcarlatinam materiem ad has partes auctus, nervum phrenicum ramosque vicinos irritat, & ſpaſticae oriuntur illae contractiones, quae tandem tuſſiendi excitant neceſſitatem, quod praedictis ex cauſis convulſivo fit motu, & tandem copioſa excernitur pituitoſa materies, quo facto paroxiſmus ſtatim remittit. Sed purpura quoque non raro tuſſis convulſivae cauſa evadit, ſi epidemica eſt, cujus decurſum adhuc paucis attingam.

§. XV.

Purpurae exanthema a rubedine purpurea & germanicum *das Frieſel* ab aſperitate cutis nomen habens, novus plerumque etiam habetur morbus, & ſuperiori ſeculo in Germania prius viſus, ibique puerperia inprimis infeſtaſſe creditur. Sed luculenta vel in HIPPOCRATIS ſcriptis veſtigia ſunt, ut credibile

ſit,

ſit, nobis ſaltem frequentiorem eſſe, in tanto diaetae luxu, forſan etiam ſuperioris ſeculi methodis medendi nimium aeſtuoſis. Nam vel leves & ordinariae acutae aeſtuoſo regimine hujusmodi exanthemata concipiunt, etſi pro corporum diſcrimine non ſemper maligna. Memorabile eſt, exanthemata cutanea, quae ad extravaſationis inflammatoriae indolem accedunt, ruboris perpetua quaedam diſcrimina ſervare. Purpura, quum viget, ultra modum ſeſe extollit, cutem aſperam reddit papulis coloris obſcure rubri, quae ſi maligníoris ſunt naturae, pallidam veſiculam in apice concipiunt. Morbilli roſeum ſaturius paulo ruborem habent, & nonnihil puniceum, leviter ultra cutem ſeſe attollunt, ut vix aſperitas quaedam poſſit ſentiri, papulis fere lenticularibus puniceo roſeis, tactu & aſpectu glabris. Urticata exanthemata pallide rubent, & papularum ex inflictis urticis habent ſimilitudinem, ſubinde etiam cutis interſtitia pallide rubent. Scarlatina ubi viget, ex maculis rubellis nunquam ultra cutem aſſurgentibus orta, quae deinde jam latius ſe explicant, coccineum & quaſi cancri cocti habet ruborem. Petechiarum aliae roſeae ſunt, peiores, violaceae, luridae, flavae &c. plerumque lenticulares, veſtigiis a pulicis morſu ſimiles, ſaltem quod rubicundius illud punctum ex roſtello pulicis ſuperſtes non habeant, quaedam tamen peioris notae luridum quaſi centrum habent. Febres eryſipelatodes rubore leviter coccineo aut cutem aequabiliter occupant, aut per Zonas: quaeque maligniores ſunt, alicubi tractus quosdam habent, miliaribus veſiculis praeterea aſperos. Iſta omnia ſpecificum quoddam arguunt diſcrimen. Poſt omnia haec exanthemata cutis ſolvitur in ſquamulas ex ſcarlatina omnium ampliſſimas.

§. XVI.

Purpura duplex eſt, alia cum febre acuta, alia chronica & ſubinde periodica. Haec ſine ulla febre eſt, neque tamen ſine ulla corporis cachectici, hypochondriaci, latenter phtiſici aliorumque ſuſpicione. Purpura cum febre acuta eſt vero, de qua agendum hic nobis erit. Incipit cum prodromis ſpaſticis variis, poſt laſſitudinem inſolitam, dolores capitis, dorſi, artuum, lumborum, & quo malignior eſt, aliis malignae febris prodromis. Paulatim horrores, catarrhalibus febribus ſimiles incidunt, initium febris facientes, interdumque gravior aliquis algor. Protinus & tuſſicula quaedam adeſt, & peripneumonico ſpaſtica reſpirandi difficultas, facies paululum rubet, oculi nitent, & nonnunquam lacrymantur, interdum & ſternutationes adſunt. Statim etiam ſudores intempeſtivi, vel particulares, vel univerſales ſaepe ſatis profuſi, cum urina aut nubeculoſa aut turbida, eſtque in ſudores praematura quaedam proclivitas purpurae quaſi propria. Non raro & pleuritica ſimulacra ſeſe addunt. Quo peior futura eſt, eo plus anxietatum, aeſtusque & doloris circa praecordia adeſt. Febris ipſa mediocris eſt, pulſui ſingularis celeritas cum quadam debilitate, ſuccedens algori primo aeſtus horroribus diſtinguitur, atque etſi febris videatur initio erratica, quotidianae tamen & veſpertinae inprimis exacerbationes non difficulter notantur, quas in tertium quartumue diem horror antecedit, inde luculentioribus exacerbationibus quotidianis vel reſpondentibus alternis. Mala nota eſt, quartae diei gravior exacerbatio, aut ſanguinis ex naribus ſtillicidium aut menſtruorum vel haemorrhoidum veſtigia, aut angi-

noſa

nosa quaedam circa tonsillas simulacra, aut parvi vomitus aut fugaces strangurìae. Dictis modo signis praesertim sudoris intempestiva facilitate & minae symptomaticarum purpurarum discernuntur. Inprimis haec adnotanda sunt in puerperis aliquot diebus post partum.

§. XVII.

Decursus est ut acutarum aliarum inter sodalitia symptomatum pro malignitatis modo. Si aequabiliter decurrit, paulatim papulae expallescunt, & inter redeuntem somnum urinamque coctam disparent, cute in squamas resoluta. Si papulae post complures dies dispareant, redeantve vicissim, corpus male affectum est, metuenda diuturnitas, morbique vices aliae ex aliis, dum tandem, nisi perfecta quaedam crisis raro accesserit, metastases variae, ut post febres malignas, sequuntur, inter quas optimae sunt haemorrhagiae, diarrhœae biliosae, febris intermittens aut morbus alius cutaneus. Ceterum frequentes nimis sunt febres inde lentae, & tussis convulsiva ipsa. Si papulae inter sudores intempestivos, urinamque inconstantem vesiculas ad apices concipiant, timor est, ne in miliarem febrem vel purpuram albam, priori longe periculosiorem degeneret morbus. Solet ceterum & ipsa acuta purpura aliis imperfecte solutis succedere acutis, praesertim pleuriticis, neque raro febribus malignis & complicari & succedere; sed haec non ad nos.

§. XVIII.

Purpura, si ad pulmones per tussim convulsivam fiat metastasis, epidemice grassari solet, & tunc paucis post purpuram

septi-

ſeptimanis, non aliter fere ac poſt ſcarlatinam infeſtare ſolet pueros tuſſis convulſiva. Similiter ac in priori, virus morboſum ad pulmones defertur, praeſertim aëris refrigerio ſubito oborto, & frictionibus cutis per panniculos laneos, nec non laxantibus, declinante morbo neceſſariis, neglectis. Eadem ac poſt febrem ſcarlatinam prae ſe fert ſymptomata, & pari acutie vim exercet ſuam. Interdum etiam haec tuſſis hosce morbos praecedit, & exanthemate erupto ſtatim finitur. Ex his omnibus facile patet, tuſſim convulſivam ex metaſtatica materia ad pulmones delata frequentiſſime ſuam trahere originem. Miaſma in pulmonibus potiſſimum ſedem habens, cum pauxillum tantum in initio per ſcreatum excernatur, magna copia in ſtomachum incidit, hunc, quin ventriculum ipſum ex acri ſuo principio erodit, & convulſivas illas gignit commotiones, quae cum bronchiarum ſpaſticis contractionibus iunctae dirum illum efficiunt cruciatum. Videmus ex his non abſolute contagioſum eſſe hunc morbum, ſed ex epidemica quadam aëris conſtitutione oriri, quae etiam praedicta exanthemata producit. Multo minus ab inſectis vel vermibus quibusdam cauſa poteſt derivari, de quo tamen cel. Rosenstein * dubitare videtur, an credere id velit, an minus. Verba eius propria haec ſunt: *Die wahre Urſache dieſer Krankheit iſt alſo eine fremde Materie oder ein Saame, welcher ein Vermögen beſizt, ſich ſo wie das Pokengift zu vermehren, und Kinder, die vorher nicht damit behaftet geweſen ſind, anzugreifen. Jch kann nicht mit Gewißheit ſagen, ob es Jnſecten ſeyn. Man bemerkt aber deutlich, daß das Gift durch Anſteckung ſich fortpflanzt, und daß ein Theil davon in die Bruſt kommt,*

* ROSENSTEIN, l. c.

kommt, das meiste aber mit dem verschlukten Speichel in den Magen tritt. Per accidens sanos inficere posse hanc tussim lubenter concedo, si v. g. sanus puer cum tali aegroto in uno eodemque decumbat lecto, & per sudoris & respirationis communicationem in sanum corpus materia transeat morbifica, quae omnino venenatae indolis est. Primaria ergo causa omnino in transpiratione suppressa, quod ab aëris mutatione repentina, & epidemica quadam constitutione venit, quaerenda certissime est, tali modo ut hi, in quibus miasma hocce latet adhuc, vel erupit jam ad summum gradum, facillime tantam experiantur ab aëre externo corporis mutationem, qua materia retropellitur, & ad pulmones, tunc temporis ad venena accipienda aptissimos, defertur, summo cum aegri detrimento. Interdum etiam scarlatina aut purpura jam dudum finita, tussis haecce convulsiva urget puerulos, sed hoc non aliter explicari potest, quam quod miasmatis aliquid exanthematici adhuc sub cute latitaverit, quod eo quo jam dixi modo pulmones aggreditur, atque praedicta producit symptomata.

§. XVIIII.

Quod ad prognosin morbi huius attinet, bona esse potest, aut funesta. Per se tussis convulsiva ad XI aut XII producitur septimanas, quin saepius longius adhuc tempus, adeo ut sex menses interdum ab ea crucientur pusiones. Lethalis plerumque in hoc casu evadit, & rarissime bonae crisis inde crescit spes. Medicamentis autem adhibitis vim eius infringere quin radicaliter sanare aegros nobis licet, sed arduum omnino hoc opus esse, quilibet fatebitur medicus practicus. Boni igitur eventus signa haec sunt:

Pituitae largae per vomitum eiectiones, magna eiusdem copia per alvum excreta, oculi vividiores, paroxyſmi invaſiones rariores, coryzae etiam fluxus largus, ſudoris copioſiſſima excretio, reſpiratio liberior, pulſus non adeo plus febrilis, ſomnus quietus, ciborum appetentia aucta, exanthematis cuiusdam per cutem eruptio &c. Peſſimae vero indolis ſunt: Oculi turgidi, vomitus remiſſio, paroxyſmorum intervalla breviora, haemorrhagiae variae, narium praeſertim, alvi obſtructiones, reſpiratio magis magisque anheloſa, pulſus ad malignarum peſſimae notae accedens, intermittens, quin tremulus ad finem, ſomni ſumma inquietudo, ut quolibet momento mutare velint aegri, lectum, aut hypocauſtum, tendinum ſubſultus, artuum contractiones ſpaſticae, tuſſis exaſperatio ad ſuffocationem uſque ſingultus, cutis arida, virium ſummae deiectiones, contabeſcentia totius corporis &c. Ex hiſce facile elucebit, quid boni aut mali ex morbi huius expectandum ſit decurſu.

MEDELA.

§. XX.

Tuſſes puerorum convulſivae aut raro aut nunquam qualibuscunque pectoralibus parent. Sunt enim ſpaſticae ex primis viis conſenſuales, demulcentibus ſaepe aſperandae & valde rebelles. Quaecunque ſit cauſa, quando tempeſtive accerſitur medicus, ab emetico incipit optime morbi huius tractatio, id quod vomituritiones quin vomitus ſpontanei ſatis iam indicant. Dari ad hunc ſcopum poteſt Tartarus emeticus ſequente modo. ℞. Tartar. emet. granum dimidium ad unum; Tartari vitriolat.

grana

grana quatuor ad octo M. secundum rationem aetatis. Dari potest hic pulvis ad dimidiam partem in vehiculo aquoso, &, nisi vomitus succedat, semihorio elapso, reliquum praebeatur. Reiteratio emeticorum saepius necessaria pro symptomatum ratione non est negligenda. Rhabarbarina vesperi vero quotidiana inter mixturae simplicis, crocatorum & tandem mitissimorum anodynorum connubia optime conveniunt. Si plethora aut pleuritici quidquam urget, venaesectio instituenda. Praemissis istiusmodi universalibus per complures dies, ad diaphoretica confugiendum est, & exhiberi potest ad hunc usum sequens mixtura. ℞. Aquae fl. Til. aut Hyssopi. unc. III. nitri depur. antimon. diaphor. āā drachm. 1. Liq. anod. m. H. drahm. dimid. Syr. dialth. F. unc. I. M. S. cochlear dimidium quolibet bihorio. Secundum aetatis rationem haec dosis augeri potest vel diminui. Rorismarini sylvestris herba a quibusdam pro infuso Theaeformi commendatur, & a rusticis in Suecia tanquam specificum adhibetur in tussi convulsiva. * Emetica leniora, quae non absolute ad vomitum agere debent, sed & resolutorio potius modo, optimo saepius cum successu trahuntur in usum. Pertineat huc potissimum sulfur auratum antimonii tertiae praecipitationis. Oxymel squilliticum, & ipse tartarus emeticus, refracta dosi adhibitus. Alvi obstructiones clysmatibus debellentur, pessimas enim efficiunt morbi exacerbationes. Ad hunc scopum decocta mannata resolventibus interposita adhiberi non minus possunt, & optimi saepius sunt usus. Ligni visci usus a multis etiam in hoc morbo laudatur, e. g. ℞. pulv. lign. visc. gr. XV. rad. contrayerv.

 gr.

* ROSENSTEIN, l. c.

gr. V. croc. or. grj. M. f. pulv. vel in forma linctus sequente modo. ℞. pulv. lign. Visc. unc. semis. looch. de farfar. vel San. & exp. Syr. balsam. āā unc. 1 & sem. M. F. linctus S. capiatur cohlear quolibet bi vel trihorio. Singultu urgente spiritus vini camphorati in cardiam infrictio optime conducit. Sin forsan alii minentur convulsivi motus, opiata, praesertim laudanum liquidum Sydenhami, erunt adhibenda. Opium ipsum summa cum prudentia in usum trahatur, praesertim in tenerulis. Resolutione hoc modo facta, ad corticem peruvianum veniendum erit, in quo hoc tamen transeundum non est, ut in initio in resolventium adhuc connubio adhibeatur. Alias enim ob adstringentes eius vires muci tenacis metuenda est incarceratio, quae facillime pulmonum vomicas producit. Dari igitur potest cortex in decocto cum Oxymelle squillitico, & ubi ventriculi minatur inflammatio, Julapium camphoratum, vel camphora ipsa admisceatur decocto. In fine denique roborandi scopo cortex sine resolventibus potest adhiberi, & nitrum tantum in connubium trahi, ad alvi prohibendas obstructiones, quem ad finem ad binas drachmas usque decocto admiscendum erit, cui Liquoris C. C. succinati coniunctionem cel. VOGEL * suadet.

§. XXI.

Cum, ut supra iam dixi, convulsiva tussis ex materia scarlatina, aut purpurea plerumque oriatur, ad utrorumque morborum medelam praecipue erit respiciendum, quem ad finem paucis

* praelect. de cognosc. & curandis praecip. C. H. affectibus.

paucis hanc mihi liceat attingere. In curatione igitur fcarlatinae quamprimum videndum, ut nulla habita aetatis ratione emeticum adhibeatur. Nutrix ipfa carnibus abftineat, folis lacticiniis & cremoribus vivat tantifper, & fubinde rhabarbaro utatur. Ipfis pufionibus deinde quotidiana leniaque rhabarbarina inter modica nitrofa & abforbentia conveniunt, quin poft morbum rhabarbarina repetenda fnnt. Fauces linctibus per penicillos applicandis ex mucilagine feminis cydoniorum vel lini fub connubio fyrupi emulfivi vel lacte ebutyrato leniantur. Adultioribus & reliquis omnibus fuccurritur, ut purpura laborantibus, inprimisque tempeftiva vomitoria, vel pluries, pro morbi facie reiterata, interpofitis quotidianis rhabarbarinis, laxantibusque aliis quam mitiffimis, non negligenda. Tempeftivum vomitorium anginofa fymptomata miro intercipit modo. Ubi vero haec iam invaluerint, quotidiana rhabarbarina inter temperantia ordinaria, inprimis falino nitrofa, deinde fub connubio mixturae fimplicis, oxymellis, camphorae, notiffimis conveniunt formulis. Sub declinatione & defquamatione cutis mera falino nitrofa continuentur, rhabarbarina vefpertina alternis diebus, deinde ad feri lactis ufum, adultioribus acidularum Selteranarum, Embfenfium, Wildungenfium fimiliumque cum lacte ebutyrato accedatur. Et primo fub ftadio & fecundo femel iterumque praefertim adultioribus inter ordinem illum remediorum vena fecanda eft, repetendumque in auxilium pro modo difficultatis deglutiendi, & minarum pleuritico peripneumonicarum. Eadem de fecundo ftadio valeant, cui inprimis pleuritides fymptomati-

 cae

cae accedunt. Saepe etiam adultis vel pufionibus paullo adultioribus iteratum inter ifta vomitorium congeftiones ad fauces & pectus utpote fpafticas & fubinde recidivas plurimum levabit cum iudicio datum. Quamprimum etiam fub primo ftadio veficatoria vel alia epifpaftica funt adhibenda, fic enim nihil metaftafeos cutaneae ad interiora fefe recipientis erit metuendum. Alenda diu funt, & faepius ultra menfem, nam & haec artificialis fuppuratio minas viresque fecundi praefertim ftadii, aut fi hoc non luculentum eft, multas tamen chronicas valetudines certe alioquin fecuturas miro modo intercipit & frangit.

§. XXII.

Purpurae curatio eadem fere requirit medicamina, paucis tantum mutandis. Praeprimis omni ftudio agendum erit, ut diaphorefis optime fuccedat, quem ad finem igitur antimonium diaphoreticum larga dofi, & potus calidi copiofi adhibendi omnino funt. Ubi plethora adeft venaefectio in pede inftituatur, & finapifmi furis vel pedum plantis applicentur, ad derivationem ab encephalo perficiendam. Mofchi veri ufus ad eruptionem purpurae optime facit, & impedit, quo minus interiores petat partes. Datur a grano dimidio ad duo. Sub finem morbi fi exanthemata jam ficca fieri & fquamas formare incipiunt, totum corpus panniculis laneis fricari debet, ad ruborem usque, quod in ambobus his exanthematum generibus optime conducit. Hoc etiam de ipfa tuffi convulfiva valet. Per diaphoretica enim praeparata materia ad educendum, cutem verfus proficitur per frictiones,

nec

nec raro exanthematis ſpecies iisdem producta, omnino ſola tuſſis hujus evadit remedium, id quod maxime cauſam hujus morbi eſſentialem in clariſſimam ponit lucem. Lenia laxantia imo purgantia interdum frictionibus interpoſita coronam denique operi imponunt, atque atrox hic vitae humanae adverſarius victus tandem evadit.

TANTUM.

Errata.

Pag. 1.	linea 8.	loco	ſcarlatinam	lege	ſcarlatinum.
Pag. 2.	lin. 9.	—	erundae	—	eruenda.
Pag. 2.	lin. 18.	—	exhalitis	—	exhalatis.
Pag. 3.	lin. 9.	—	noxiae	—	noxae.
Pag. 4.	lin. 12.	—	utticata	—	urticata.
Pag. 4.	lin. 19.	—	exponit	—	exponunt.
Pag. 7.	lin. 16.	—	ſtimulo	—	ſtimuli.
Pag. 7.	lin. 18.	—	laceſſente	—	accedente.
Pag. 8.	lin. 22.	—	mnligniſque	—	maligniſque.
Pag. 18.	lin. 10.	—	obrutae	—	obruti.

COROLLARIA.

1. Opium in Colica Pictonum, ſublata ſaburra bilioſa, princeps ſiſtit antiſpaſmodicum.
2. Stimatoſin haemorrhoidalem ſupprimere non licet.
3. Amputatio foemoris ex articulo in homine periculoſiſſima.
4. Agaricus Lycoperdon vi haemorrhagias ſedandi ſpecifica praeditus eſt.
5. Scarrificatio carnis vivae in loco gangraena adfecto inutilis eſt, & nocet.
6. Prodeſt Mercurius in morbis inflammatoriis.
7. Rheumatiſmum a materia tranſpirabili ſuppreſſa oriri haud improbabile videtur.
8. Non repugnat exhibere purgantia in connubio cum roborantibus.
9. Acidum in primis viis ſponte generatur.
10. Effuſio ſanguinis, & aquae de latere adorandi Redemtoris in cruce mortui nullum fidei Myſterium involvit.
11. Energumenorum hiſtoriam recentiores periti merito dubiam pronunciant; uti & omnem artem daemonis magicam.
12. Rheum in affectibus quoque pulmonum ſalutari cum effectu recipitur.
13. Scirrhus morbus univerſalis eſt.
14. Febris puerperarum morbus ſui generis gaſtricus eſt.
15. Datur Carcinoma venereum.